

(36. Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum officium sufficit non solum attentio litteralis et spiritualis, sed etiam attentio superficialis ad verba cum pia intentione orandi, et colendi Deum prolata. *Communis. Vide ibidem*, num. 22 et 23.

## NOTE ROMANI THEOLOGI.

Horæ canonicæ recitari debent secundum concilium Tridentinum, sess. xxiv, cap. 12, « reverenter, distincte, devote, » ac ea animi attentione, quæ illi convenit, qui Deum suum præsentem considerat, qui in ipsum Creatorem omnium pio humilique affectu fertur, quique ipsum laudare intendit. Ex quibus infertur, quam longissime a vero aberrare auctores illos, qui asserunt nullam requiri interiorē attentionem in recitatione divini officii, sed sufficere superficiale quādam attentionem ad verba, ut nempe ista integre distincteque pronuncientur; quam opinionem sequitur etiam Lucius noster. Verum qui sic opinantur, meminisse deberent quod qui absque ulla interiori attentione Deum precatur, non orat, sed simulat orare; vera namque oratio est ascensus mentis in Deum, secundum Damascenum, est actus religionis Deo gratus, ac Ecclesiæ utilis; at oratio illa quæ sine interiori attentione fit, non est verus Dei cultus, qui fieri debet in spiritu et veritate; sed est species quædam hypocrisis, ac simulatio orationis. Orandum est igitur non solum corpore, sed in spiritu et veritate; non superficiali duntaxat attentione, sed mente ad Deum elevata.

## RESPONSIO AUCTORIS.

Fallitur hic theologus dicendo, quod ego sequor opinionem illorum qui asserunt nullam requiri interiorē attentionem in recitatione divini officii, cum ego expresse contrarium sentiam; prout debebat ipse advertere ex iis, quæ trado num. 31. Quinimo opinionem talem ego oppugno in cit. verb. ATTENTIO, num. 22 et 23, ubi expresse trado, quod facillima est attentio interna superficialis ad verba, cum pia intentione orandi et colendi Deum, prolata, etc. *Vide ibi*, sub num. 22, ubi expresse concludo, quod ad satisfaciendum præcepto de recitando divino officio, et de audienda, vel celebranda missa, requiritur sub culpa mortali, nedum attentio externa, sed etiam interna; et num. seq. id efficaciter probo, et solvo objectiones; et num. 24 doceo quod ad peccatum mortale incurrendum « ob defectum debitæ attentionis internæ, » non est necesse, ut mentis evagatio sit deliberate, directeque volita, sed sufficit, quod sit volita indirecte. Quid clarius circa sententiam meam, contra falsam assertionem a theologo nostro mihi impactam?

(37. Ad satisfaciendum tali obligationi recitandi divinum officium, non solum sufficit attentio actualis, sed etiam virtualis, minime vero sufficit attentio solum habitua-  
*lis. Communis.*

(38. Ad peccatum mortale incurrendum

ob defectum debitæ attentionis internæ, non est necesse, ut mentis evagatio, seu distractio sit deliberata, directeque volita, sed sufficit, si sit volita indirecte. *Vide ibid.*, num. 24.

(39. Si vero mentis evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recitans inadvertenter aliud cogitet, aut faciat, quousque advertat se distrahi, semper reputatur sufficienter attentus, et per consequens satisfacit obligationi recitandi officium. *Vide ibid.*, num. 25.

(40. Clerici beneficiati, qui cum voluntariis distractionibus recitant divinum officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo integre, et cum intentione orandi, et Deum colendi recitent. *Vide ibid.*, a num. 26 ad 29.

## NOTA ROMANI THEOLOGI.

Auctor noster ratus sufficere superficiale tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii, sustinet etiam propterea clericos beneficiarios, qui cum voluntariis distractionibus Horas canonicas recitant, non teneri ad ullam fructuum restitutionem, etsi mortaliter peccent. Verum opinio hæc pereruditus Romanis censoribus non placet, et merito id quidem: « Nam qui voluntarie, et data opera mentem alio distrahit, et positive atque animo deliberato persistit in hac distractione tempore recitationis, inquit P. Concina loco superius citato, q. 10, reipsa non implet præceptum, quemadmodum non implet præceptum confessionis annuæ per confessionem sacrilegam. » Sicut enim qui confitetur sacrilege, facit confessionem voluntarie nullam, sic qui animo voluntarie distracto Horas canonicas recitat, suæ obligationi non satisfacit, præceptum de recitando divino officio non adimplet; ac proinde idem est, ac si prorsus actum non poneret. Hinc fit quod si clericus beneficiarius ita animo voluntarie distracto officium recitet, post primos sex menses a possessione beneficii, nedum mortaliter peccat, sed tenetur etiam ad restitutionem pro rata omissionis; ut S. Pius V, in supra laudata sua constitutione, præcipit. Quæ cum ita se habeant, conficitur sane, summam debere esse solertiam, diligentiamque clericorum, qui ecclesiastica præcipue possident beneficia, repellendi a se voluntarias huiusmodi distractiones, ne obnoxii fiant restitutioni ob non adimpletum præceptum recitationis divini officii.

## RESPONSIO AUCTORIS.

Non ego reor sufficere superficiale tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii. Debebat enim R. theologus fideliter referre integram meam conclusionem, nempe, « licet mortaliter peccent, non tenentur ad ullam fructuum restitutionem; dummodo tamen integre, et cum intentione orandi, et Deum colendi recitent. » Ad quod sustinendum adduco

loc. ibi cit. solida fundamenta, attente ibi perpendenda.

(41. Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum officium sufficit attentio tacita, vel implicita; non enim requiritur propositum expressum attente recitandi; unde intendens in genere recitare officium modo consueto, vel intendens Deum laudare, et debito suo satisfacere, sufficientem habet attentionem. *Vide ibid.*, num. 30.

(42. Qui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quoties dedita opera mentem non divertit, licet per totum officium distractus, non peccat mortaliter. *Vide ibid.*, num. 31. Quod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gøbat tamen merito intelligit de solis scrupulosis, et solitis recitare pie et devote. *Vide ibid.*, num. 32.

(43. Qui accedit ad ecclesiam de more ibi officium recitaturus, ut adimpleat munus suum, sufficientem habet attentionem; ac proinde satisfacit, quamvis postea recitet involuntarie distractus. *Vide ibid.*, num. 33.

(44. Dummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus, et non supina et crassa negligentia se evagari sinat, satisfacit obligationi recitandi officium cum sufficienti attentione. *Vide ibid.*, num. 34.

(45. Quinimo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum vel cor; et inter recitandum officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decipiat, aut evadat occasio. *Vide ibid.*, num. 35.

(46. Quoad ea quæ concernunt integritatem, et continuationem, et formam recitandi divinum officium

## ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ concernunt integritatem, et continuationem, et formam recitandi divinum officium

## SUMMARIUM.

1. Omittens culpabiliter integrum divinum officium peccat mortaliter. — 2. An is committat tot numero peccata, quot omittit Horas? — 3. Probabiliter tenetur in confessione explicare, quod omisit totum officium. — 4. Probabile est etiam, quod is non teneatur explicare in confessione, quod omisit totum officium, aut tales, et tot Horas. — 5. Peccat mortaliter, nedum omittens totum integrum officium, sed etiam omittens culpabiliter ejus partem notabilem. — 6. Notabilis pars est omissio unius integræ Horæ minoris. — 7. Sic etiam notabilis pars est omissio laudum, unius nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis. — 8. Omittente minorem partem, quam totam parvam horam, aut simile æquivalentem non est peccatum mortale. — 9. Probabile est esse tantum peccatum veniale omittente totas Vesperas Sabbati sancti. — 10. Alii tamen sentiunt contra. — 11. Omittente culpabiliter interruptum per totum officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ Horæ, est peccatum mortale. — 12. Omittens ut supra notabilem partem officii probabiliter com-

mittit unum solum peccatum mortale, quamvis simul sit sacerdos, parochus et monachus. — 13. Qui notabilem partem divini officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, si recorderetur eadem die, tenetur sub mortali adhuc supplere. — 14. Si vero recorderetur altera die, non tenetur supplere. — 15. Qui dubius, an recitaverit aliquam Horam, si nullam habeat rationem, aut conjecturam quod recitaverit, tenetur recitare seu repetere. — 16. Si vero habeat rationem aliquam, vel conjecturam quod recitaverit, non obligatur recitare seu repetere. — 17. Et a fortiori non tenetur repetere, qui certo scit se dixisse aliquam Horam, et solum dubitat, an integre eam dixerit, seu aliquid in ea omiserit. — 18. Qui inter publicam canonicarum Horarum recitationem ex officio, vel superioris mandato occupatur in paradisi libris, in prævidendis antiphonis, in pulsandis organis, in sonandis campanis, et hujusmodi, non tenentur repetere quæ alii, ipsis non audientibus nec recitantibus, canunt seu recitant. — 19. Quamvis aliqui probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione assistunt integræ horæ a musicis decantatæ; tamen oppositum est tenendum. — 20. Psalmi, hymni, antiphonæ, et hujusmodi, quæ solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce personantur, debent a religiosis in choro submissa voce recitando suppleri. — 21. Alii tamen docent oppositum, insuper docentes organædum, qui choro organis musicis alternis versibus respondit, non esse obligatum ut voce etiam proferat, ad n. 22. — 22. Integre recitatur divinum officium, quod etiam privatim recitatur cum socio, seu sociis alternatim versus recitando. — 23. Unde potest licite recitari divinum officium etiam privatim a quatuor, vel octo simul, dummodo non constituatur nisi duplex chorus. — 24. Integre et licite recitatur divinum officium cum socio etiam laico, non obligato, non attento, imo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus et ab obligato ad officium attente audiatur. — 25. Qui in choro, vel cum socio divinum officium recitando nondum absolutis alterius chori, seu socii versibus, præproperat notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem. — 26. Item peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui recitat divinum officium syncopando, mutilando, glutiendo, seu absorbendo syllabas, seu medias, sive ultimas, nisi tamen id fieret involuntarie ex naturali linguæ defectu. — 27. Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec est opus quidquam repetere. — 28. Et hoc est verum, etiamsi quis sit surdus, et inde alterius chori partem audire non valeat; quod tamen alii negant. — 29. Officium divinum nedum est recitandum integre, sed etiam continue, ita ut una Hora canonica cepta, debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa. — 30. Unde graves doctores dicunt quod si in eadem Hora, vel psalmo absque rationabili causa fiat magna et longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum. — 31. At vero per se præscindendo a scandalo et contemptu, non erit mortale, sed solum veniale, Horam canonicam ceptam absque omni rationabili causa interrompere etiam notabiliter per multas horas. — 32. Imo, si justa, et rationabilis aliqua causa interveniat, nullum, nequidem veniale peccatum est, interrompere paulisper recitationem divini officii. — 33. Quæ sint huiusmodi justæ causæ? — 34. Matutinum potest licite etiam sine ulla causa dividi tota nocte a Laudibus. — 35. Imo multi dicunt id esse etiam laudabile. Quando dividitur a Laudibus debet in fine addi *Pater noster*, et probabiliter etiam addi debet oratio dici sine aliis commemorationibus. — 36. Probabiliter est etiam, quod initio Laudum divinarum non debeat dici *Pater*



roster et Ave, quamvis consultum et laudabile sit illa dicere.—38. Probabilius etiam posse separari in Matutino Nocturnum a Nocturno, dummodo interruptio sit tantum dimidiæ, vel unius horæ; tenentarii doctores.—39. Pro recitando divino officio ab omnibus Breviario Romano astrictis, servanda est omnino forma generalis Breviarii editi jussu S. Pii V et confirmati a Clemente VIII, et correcti novisque hymnis adornati ab Urbano VIII.—40. Qui autem a ducentis annis a dicta constitutione S. Pii V utebantur aliis Breviariis, possunt adhuc illis uti.—41. Clerici et religiosi astricti Breviario Romano non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter peccant, si recitant officium ex alio Breviario peculiari alicujus Ecclesiæ vel religionis.—42. Econtra clerici et religiosi astricti Breviario propriæ Ecclesiæ vel religionis (nisi aliud specialiter pro ipsis post d. conslit. S. Pii V a Sancta Sede sit cautum) non peccant, si in privata recitatione divini officii utantur Breviario Romano.—43. Forma recitandi divinum officium nedom servanda est secundum dictum Breviarium, sed etiam secundum proprium Kalendarium, seu directorium, recitando qualibet die, prout ibi signatur.—44. Unde peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto, qui, data opera, mutat officium hujus diei in aliud officium notabiliter brevius.—45. Imo peccat probabiliter etiam mortaliter, qui, data opera, sine justa causa mutat officium hujus diei in aliud, licet æquivalens seu etiam longius.—46. Qui culpabiliter recitavit officium de martyre, cum esset recitandum de confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa, quæ sunt confessoris propria.—47. Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit officium de martyre, cum esset recitandum de confessore, licet consultus, et laudabilis sit illa repetere, non est tamen obligatorum, neque sub veniali.—48. Qui per inadvertentiam, seu errorem incipit recitare officium non præscriptum et recitato jam Matutino, primum advertit errorem, et recitatio jam Matutino, uti esset consultum et laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem corrigat et recitet officium præscriptum illius diei quoad reliquas horas.—49. Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit officium crastinum, debet cras iterum recitare illud officium jam hodie celebratum.—50. Qui sic erravit, debet potius eo anno penitus illud officium omittere, quam Rubricas invertere illud in alium diem transferendo.—51. Plura consimilia, remissive.—52. Generaliter loquendo omnis clericus, sive sæcularis, sive regularis existens etiam pluribus annis extra suam dioccesim, aut monasterium, sed solum tanquam peregrinus et advena, potest recitare officium de sanctis, de quibus recitaret, sive ipse existeret in sua diocesi aut in suo monasterio, ad num. 53.—54. Regulares vero choro addicti debent semper recitare officium, quod recitatur in illo conventu, in quo, sive ut moradores, sive ut hospites existunt.—55. Forma recitandi divinum officium juxta Kalendarium et Breviarium Franciscanum servanda est ab omnibus religiosis et monialibus existentibus sub obedientia ministri generalis Ordinum Minorum.—56. Etiam moniales tam S. Claræ, quam tertii ordinis, quamvis sint sub gubernio ordinariorum possunt uti nostro Breviario Franciscano.—57. Etiam tertiarum nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano.—58. Tam fratres, quam tertiarum in sæculo degentes, qui ratione episcopalis dignitatis, aut alterius muneris, sunt de gremio alicujus Ecclesiæ et ipsius choro intervenire debent, tenentur recitare officia, quæ sunt particularia illius Ecclesiæ, et diocesis, secus vero si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati.—59. Generaliter autem loquendo episcopus regularis debet officium recitare juxta ritum suæ diocesis, non vero Regulæ et occurrente festo Regulæ in festo diocesis, hoc erit præferendum.

—60. Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius religionis alteri facta se minime extendit ad officia sanctorum.—61. Facultas recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, seu congregationibus fratrum seu monialium S. Francisci, non extenditur ad fratres seu moniales alterius congregationis.—62. Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familia.—63. Multo minus admitti potest eadem extensio de conventu ad alios conventus et de provincia ad alias provincias.—64. Quamvis officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri alias transferri possent in annum sequentem; nunc vero amplius transferri non possunt.—65. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegio suæ religionis, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium et in propriis cathedralibus missam celebrare et altare prædictis beatis erigere.—66. Capellanus episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare.—67. Non possunt locorum ordinarii, tam sæculares quam regulares addere Kalendaris, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani rubricis, vel sacrorum Rituum congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.—68. Si festum S. confessoris transferatur in proximam sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fiat mutatio versiculi: sed dicatur *Meruit beatas*, dummodo primæ vesperæ non sint impeditæ.—69. Translato festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste Confessor* faciendâ est mutatio versiculi dicendo *Meruit supremos*.—70. Et hoc, etiamsi tali confessori perpetuo translato sit fixa dies assignata.—71. Officium seu festum translatum, quamvis posset in diem immediate sequentem transferri, seu reponi, non debet recitari, seu celebrari ante alia festa prius translata, quando sunt æqualis ritus. Aliter tamen hodie est servandum ob contraria posteriora decreta.—72. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrerant, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diocesis, vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Aliter tamen hodie est servandum ob contraria recentiora decreta.—73. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas; supposito tamen, quod sint ejusdem ritus.—74. Si simul sint transferenda festa S. Marci evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum apostolorum.—75. Si vero simul sint transferenda festa S. Josephi et Annuntiationis, prius reponatur officium Annuntiationis et deinde S. Josephi.—76. Confessarii et capellani monialium possunt missam celebrare de sancto cujus officium recitatur ab ipsis monialibus in choro, sed cum missali Romano et de communi, ad num. 77.—78. Confessarii et capellani monialium possunt etiam recitare officium, quod recitatur ab ipsis monialibus, sed cum Breviario Romano et de communi.—79. Regulares tenentur sub ritu duplici primæ classis cum octava ad officium tam dedicationis quam titularis ecclesiæ conventus, in quo morantur.—80. Item sub eodem ritu, sed sine octava tenentur ad festa sanctorum, qui provinciis regularium præsent tanquam earum patroni, seu titulares.—81. Regulares tenentur celebrare festum de dedicatione ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis et sine octava.—82. officia autem de patrono principali loci conventus, ac de patrono, seu protectore principali civitatis, regni aut provincie et de titulari ecclesiæ cathedralis tenentur regulares celebrare sub ritu duplici primæ

lassis et sine octava.—83. Ad officia vero de patronis minus principalibus, ac de sanctis diocesis non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato.—84. Ad hoc autem, ut regulares teneantur ad officia patronorum principalium et clerici sæculares etiam ad officia patronorum minus principalium, debent esse electi in patronos, juxta condiciones præscriptas in decreto emanato de ordine Urbani VIII, quod hic ad uberiores notitiam datur.—85. Approbatio sancti patroni, seu protectoris principalis solet concedi pro unico solo.—86. Regulares exempti utentes Breviario Romano an possint recitare officia de patronis minus principalibus et de S. diocesis, seu solitis recitari a clero sæculari?—87. Quando permittitur fieri officium aliquod per ditiones subiectas Cæsari, per has intelliguntur etiam urbes imperiales et omnes provincie, ditiones et loca quæ sunt feuda imperii.—88. Locorum ordinarii, tam sæculares quam regulares, nequeunt propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii, in altiore ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.—89. Officium recitatur sub ritu duplici minori de illo sancto cujus habetur reliquia insignis.—90. Qui recitant officium de sancto de quo habent insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebrent eo die in alia ecclesia, debent omittere *Credo*.—91. De sancto, cujus habetur corpus, vel insignis reliquia, non potest fieri officium, nisi reperiat in Martyrologio Romano.—92. Dedicatio festum et officium extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab episcopo inconsulta Sede Apostolica.—93. Si in locis diocesis nullus reperiat electus patronus, tenetur diocesis non solum ad festum de patrono civitatis, sed etiam ad octavam.—94. In patronorum, seu protectorum præcedentia servandus est ordo hierarchiæ Ecclesiæ, et inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione.—95. Canonici, sub onere et obligatione restitutionis fructuum, tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis, et non satisfaciant si solum assistant et intersint Horis.—96. Canonici ex decencia debent alta voce cantare in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere.—97. Extra chorum ipsi canonici et quicumque alii, quando soli recitant, non obligantur tam alie loqui, et recitare, ut circumstantes possint audire.—98. Probabilius tamen privatim et soli recitantes, debent ita alte proferre verba, ut possint ipsimet ea audire.—99. Multi autem tenent sufficere, quod quocunque minimo sono, seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuntient.—100. Et hoc maxime pro regularibus ob privilegium a Leone X concessum Fratrum Minoribus, ut possint Horas canonicas mentaliter persolvere, ad n. 101.—102. Litanie in festo S. Marci et tribus diebus Rogationum, sunt pars divini officii, adeoque recitandæ sunt de præcepto sub mortali.—103. Et quidem recitandæ sunt proprio mane, nec possunt recitari vespere pridie.—104. Astricti Breviario Romano non tenentur, diebus in Breviario notatis, recitare officium B. M. V., officium defunctorum (excepto die Animarum), psalmos graduales et pœnitentiales.—105. Excipiuntur tamen illæ ecclesiæ, in quibus adest consuetudo recitandi officium B. M. V., quæ adhuc est servanda.—106. Canonici tenentur recitare in choro officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales solum juxta constitutionem S. Pii V et non alias.—107. Et qui prædicta non recitant, non peccant; observanda tamen sunt novissima decreta, quæ adducuntur cum suis adnotationibus.—108. Officium B. M. V. tenentur canonici adhuc recitare, ubi vigeat talis pia consuetudo.—109. Imo officium B. M. V. debet dici in choro, etiam in Dominicis, si aderat consuetudo.—110. Et tempore paschali recitari debet

sine *Alleluia*.—111. Habentes indultum recitandi aliqua officia singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus in diebus non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, non possunt illa recitare in diebus Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, Quatuor Temporum et Rogationum, etiamsi in indulto nulla sit facta de his diebus specialis mentio.—112. Nec in diebus, in quibus ponendum sit officium de festo duplici, vel semiduplici translato.—113. Habentes indultum recitandi officium de SS. Sacramento in feriis quintis per annum quomodo debeant illud recitare et de ipso missam celebrare?—114. Ad Horas omnes, quæ recitantur in choro, debent ardere duæ saltem candelæ in altari.—115. Assignantur officia B. M. V. in toto Statu Ecclesiastico ex obligatione celebranda ex novissimo decreto.—116. Pro coronide feruntur varia a sac. cong. Rit. resoluta dubia.

(1. Omittens culpabiliter integrum divinum officium, peccat mortaliter. *Communissima*. An autem is committat tot numero peccata, quot omittit Horas? (2. Variant doctores. Cajetanus enim, Toletus, et alii cum Lessio l. II, c. 47, num. 53, dicunt, tot committere peccata, quot Horas omittit; et sic, si integrum omittit officium, septem distincta peccata in confessione numeranda committit, quia septem Horæ, ut dicunt ipsi, sunt septem distincta præcepta. Alii vero communius et verisimiliter tenent, ipsum committere unum solum peccatum, gravius tamen, quia est unicum præceptum de recitando integro officio unius diei, cujus singulæ Horæ sunt pars: omnes enim Horæ unum complent officium, tanquam unum formale objectum unius debiti, et unius omissionis. Sic Navarrus, Silvester, Suarez, Vasquez, Bonacina, et alii passim cum Tamburino, l. II, *Decalog.*, cap. 5, § 2, num. 9; Sporer, tom. III *Tract. append. de Horis canonicis*, c. 2, num. 92; Henricus, disp. 2, *de Horis canonicis*, qu. 1, num. 8; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tr. 6, dist. 1, quæst. 3, num. 29; Gobat, tract. 3, *Theol. experiment.*, n. 617; Donat., tom. IV *Præx. rer. regul.*, tr. 18, qu. 38, ubi dicit, quod in hoc omnes consentiunt. (3. Ille tamen probabiliter tenetur in confessione explicare quod omisit totum officium, quia, licet unicum peccatum commiserit, est tamen notabiliter gravius, et in communiore et veriori sententia, circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt explicandæ in confessione, ut cum aliis notant Sporer, *loc. cit.*, num. 92; Henno, tom. I, tr. 1, in *Decal.*, disp. 1, art. 7, concl. 1, et alii plures; et hoc maxime ob efformandum justum iudicium de statu pœnitentis, et ob imponendam ei debitam pœnitentiam, nam aliud iudicium est de omissione totius integri officii, seu omnium septem Horarum, quam unius solius Horæ, majorque pœnitentia est injungenda pro omissione totius, quam pro omissione unius solius partis; sicut aliud iudicium est de furto mille florenorum, quam decem, majorque pœnitentia est injungenda pro illo furto, quam pro hoc; adeoque semper in confessione debet quis explicare numerum, et qualitatem Horarum, quas omisit: maxime etiam, quia, ut fuit dictum *supra*



sub num. 2, plures doctores tenent, tot numero peccata distincta committi, quot horæ omittuntur. (4. Probabile autem est etiam, quod is non teneatur in confessione explicare quod omiserit totum integrum officium, aut tales et tot Horas, sed sufficiat quod dicat: « Peccavi mortaliter omissione divini officii. » Sic cum aliis notat Sporer, *loc. cit.*, n. 92, et alii plures tenentes istam sententiam, nedum probabilem, sed et probabilior, quia totalitas est tantum circumstantia aggravans intra eandem speciem.

## NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamplurima sunt, quæ in hoc auctoris nostri articulo Romanis censoribus minime arident. Et sane quis ferre posset opinionem illam esse probabilior, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum et qualitatem Horarum, quas clericus omisit? Hæc namque opinio, nedum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Etenim si clericus confiteretur duntaxat genericè: « Peccavi mortaliter omissione divini officii: » quodnam esse posset confessarii iudicium? Quonam pacto penitens suum, uti revera est, fateretur peccatum? Certe majus ac gravius peccatum committit, qui totum integrum officium divinum omittit, quam qui unam vel alteram Horam: magis obnoxius est restitutioni, qui quinque horas omisit, quam qui duas tantummodo, uti recte advertit etiam Lucius noster. Ipse itaque recte se gessisset, si opinionem hanc veluti improbabilem, nulloque solido suffultam fundamento rejecisset.

Verum Lucio nostro placent omnino, nisi me fallit animus, sententiæ illæ, quæ magis magisque benignitatem redolent, quæque obligationem minuunt. At non recte id quidem. Hinc falsum omnino est, esse tantum peccatum veniale omittere minorem partem, quam totam parvam Horam, si per minorem partem intelligat auctor noster, uti reapse intelligit, ultra dimidiam horam; Nam, admissa hac opinione, si quis tres unius Horæ psalmos omitteret, et reliqua recitaret, non peccaret mortaliter, quod nemo sanæ mentis dixerit: nam omitteret minorem partem, quam totam parvam horam.

Falsa quoque est opinio illa, quæ adstruit, peccatum tantummodo esse veniale, omittere Vesperas Sabbati sancti, quamque Lucius noster obviis ulnis amplexatur. Nam Vesperæ Sabbati sancti integram constituunt officii Horam; qui autem integram horam omittit, lethaliter peccat; quia materiam gravem, notabilemque partem omittit, ut fere omnes fatentur theologi.

Ex his sequitur quod si omittens notabilem officii partem, sit beneficiarius et sacerdos, duplex committit peccatum, contra duplicem virtutem, religionem scilicet et justitiam, ut recte P. Concina cum innumeris pene aliis defendit, qui etiam contrariam sententiam laxam vocat. Et sane quod peccet etiam contra justitiam, evidens est;

nam ut bene sciteque advertit Continuator Tournely: « Obligatio recitandi divinum officium in beneficiario, est juris naturalis præcipue nunc, cum beneficia præcise propter Horarum recitationem fundata sint. Hinc inter fundatorem et beneficiarium pactum quoddam de recitando officio intercedit; quod est contractus quidam, *Do ut facias*, et beneficium datur propter officium. Porro pacta et conventiones jure naturali servari debent; igitur beneficiarii, non solum ex religionis virtute, sed etiam ex justitia commutativa restituere tenentur, saltem post sex menses, secundum Pii Quinti mentem, sub hoc onere beneficium, quod eis collatum est, et ab eis acceptatum. »

Curare debent itaque omnes illi, qui officium divinum recitare tenentur, ut ipsum recitent integre, et perfecte, absque præcipitania, atque syllabarum contractione. Integre nimirum, id est voce, et pronuntiatione articulata et sensibili, nisi impotentia excuset.

Et sic, qui in pulsandis organis longo tempore occupatur, dum in choro Horæ canonicæ persolvuntur, debet submissa voce, et per se illa recitare, quæ ipse non audit. Sic etiam clericus, qui ob strepitum, aut alia de causa, ut si surdaster sit, partem alteram recitanti nullo modo percipit, nec verba audit, tenetur ex se repetere; alioqui non satisfaceret præcepto, quia omitteret notabilem officii partem, si nihil perciperet. At si isti attenderent quantum possent ad aliam partem psallentem, et per eos non staret quin conarentur percipere et audire quæ dicuntur, tunc suæ obligationi satisfacerent, nec tenerentur postea privatum recitare.

## RESPONSIO AUCTORIS

« Quis ferre posset (ait hic R. theologus) opinionem illam esse probabilior, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum et qualitatem Horarum, quas clericus omisit? Hæc opinio nedum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Ast debebat advertere theologus, quod ego ibi, sub num. 3, concludo probabilius contrarium. Quod autem sub num. 4, est ad eruditionem, ut legentes percipiant etiam, quid sentiant alii. Sicuti etiam, quamvis ex opinione auctorum ibi allegatorum sub num. 9, trado probabile esse, peccare tantum venialiter omittentem totas Vesperas Sabbati sancti, subjungo tamen num. 10: La Croix autem dicit, omittere Vesperas Sabbati sancti « communiter censetur mortale, » etc.

(5. Peccat mortaliter nedum omittens totum integrum officium, sed etiam omittens culpabiliter ejus partem notabilem. *Communis*. (6. Notabilis autem pars sufficiens ad constituendum peccatum mortale est ommissio integræ unius Horæ minoris, v. gr. Tertiæ, Sextæ, aut Nonæ. Sic fere communis doctorum, cum Donato, *Prax. rer. regul.*, t. IV, quæst. 39; Verriell., 1 par. *Moral.*, tract. 8, *Miscellan.*, q. 58; Stoz, lib. I, part.

III, num. 380; La Croix, lib. IV, n. 1202, qui omnes referunt sic etiam declarasse sac. congregationem cardinalium. Sic etiam notabilis pars sufficiens ad mortale est ommissio laudum, unius nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis. Sic Suarez, lib. IV *De oratione*, cap. 25, n. 15; Henno, *loc. cit.*, art. 7, conclus. 1; Illsung, tom. V, n. 39; Sporer, *loc. cit.*, num. 39, cum pluribus ibi citatis.

(8. Omittere minorem partem, quam totam parvam Horam, aut simile æquivalens, non est peccatum mortale. Sic Lessius, Bonacina, Layman, Garcias, Bonartius, Tambur., Gobat cum La Croix, lib. IV, num. 1202, et alii multi cum Stoz, lib. I, part. III, num. 381, contra Suarez, Sanchez, Escobar, Reginald., Dianam volentes, omissionem mediæ partis unius parvæ Horæ esse mortalem. Imo probabile est esse tantum peccatum veniale omittere totas Vesperas Sabbati sancti, cum sit tam exiguæ partis ommissio, et quidem in die tam læto, in quo jam præcessit tam longum officium: Tamburin., in *Decal.*, lib. II, cap. 5, § 2, num. 11; Pellizz., tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 93; Sporer, *loc. cit.*, num. 93; Gobat, *loc. cit.*, num. 690, Marchant, Franciscus Bonæ Spei, et alii. La Croix autem, *loc. cit.*, num. 1204, dicit quod omittere totas vespertas Sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem, sed qualitatem quia nempe sunt integra Hora, et continent magnum mysterium.

(11. Omittere culpabiliter interruptim per totum officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ Horæ, est peccatum mortale: qui enim per plures diversas Horas psalmum, vel partem aliquam hinc inde omittit, iste censetur omittere notabilem quantitatem officii, quia licet secundum se seorsim sumptæ non sint partes notabiles, simul tamen aggregatæ notabilem divini officii partem constituunt; partes enim spectantes ad unum totius diei officium coalescunt in unum et ommissio expendi debet ex respectu ad totum officium, circa quod illæ partes conficiunt notabilem quantitatem. Sporer, *l. c.*, n. 95; La Croix, *loc. cit.*, num. 1203, et alii contra alios sentientes contrarium.

(12. Omittens ut supra notabilem partem officii probabilius committit unum solum mortale peccatum, quamvis simul sit sacerdos, parochus et monachus. Sic Tamburin., in *Decalog.*, lib. II, cap. 5, § 1, n. 33; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 6, dist. 1, quæst. 3, num. 30; Henricx, disp. 2, *De Horis canonic.*, quæst. 1, num. 9; Diana, par. I, tract. 12, *De Horis canonic.*, resol. 5; Burgh., centur. 3, cas. 81; Castropal., tract. 7, disp. 2, par. 1, § 2, num. 29; Gobat, *Theolog. experim.*, tract. 5, num. 580; Pellizzar., tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 96; La Croix, lib. VI, part. II, num. 1122, cum Sanchez, Henriq., Homobon., Filliuc., et aliis ibi citatis contra Suarez, Bonacina, Fagundez, Lessium, Sanig, Layman et alios volentes quod duo specie peccata

committat specialiter in confessione exprimenda, unum contra virtutem religionis, ratione ordinis, vel professionis religiosæ, alterum contra virtutem justitiæ, ratione beneficii, ratione cujus tenetur ex justitia ad restitutionem fructuum ad ratam omissionis; ast ad istorum rationem respondetur cum supradictis doctoribus quod beneficiarius omittens Horas non peccat contra justitiam, sed tantum contra religionem ac præceptum Ecclesiæ, quæ talem obligationem restitutionis beneficiarii imposuit, non tanquam debitam obligationem juris alieni, sed tantum velut pœnam delicti: cum, ut patet, tum ex concilio Lateranensi sub Leone X, sess. IX, tum ex constitutione 133 S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi imponitur talis restitutionis obligatio, imponatur solum facienda, si post sex menses a die beneficii obtenti beneficiatus divinum officium non dixerit. Quod si talis obligatio restitutionis esset debita ex justitia, oriretur statim a prima die obtenti beneficii.

(13. Qui notabilem partem divini officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, si recordetur eadem die, tenetur sub mortali adhuc supplere, cum pro tota die vigeat obligatio. *Communis*.

(14. Si autem recordetur altera die, non tenetur supplere, quia, cum quodlibet officium sit affixum propriæ diei, ea die transacta, transit etiam obligatio; unde nec tenetur amplius supplere, quod inculpabiliter ex oblivione omisit, nec supplere potest, quod omisit culpabiliter, cum jam mortaliter violaverit obligationem de recitando illa die, pro qua culpabiliter omisit. *Communis*.

(15. Qui est dubius an recitaverit aliquam Horam, v. g. Primam, Tertiam et hujusmodi, si nullam habeat rationem, vel conjecturam, quod recitaverit, tenetur recitare, seu repetere; quia præceptum est in possessione, cum certa sit obligatio recitationis et dubia recitatio. *Communis*.

(16. Si vero habeat rationem aliquam, vel conjecturam, quod recitaverit, non obligatur recitare, seu repetere, ut tradit communis doctorum; imo male faceret, si in tali casu repeteret, ut docent Sanchez lib. VII *Consil. moral.*, cap. 2, dub. 34, et Sporer, *l. c.*, num. 97, et alii. (17. Et a fortiori non tenetur repetere, qui certo scit, se dixisse aliquam Horam et solum dubitat, an integre eam dixerit, seu aliquid in ea omiserit: quia, posito principali facto, in dubio præsumitur accessorium ex communiter contingentibus. Sanchez, *l. c.*, Sporer, *l. c.*; Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, num. 11; Navarr., c. 13 *De oratione*, et alii passim.

(18. Qui inter publicam Horarum canonicarum recitationem ex officio, vel superioris mandato occupantur in parandis libris, in prævidendis antiphonis, seu lectionibus, in pulsandis organis, in thurificandis altaribus, in sonandis campanis et hujusmodi, non tenentur repetere ea, quæ